



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Baptismate Paschali Et Origine Ac Ritv Consecrandi Agnos Dei Liber

Panvinio, Onofrio

Romae, 1656

Corollarivm Secvndvm Iosephi Mariae Suaresij Episc. Vasionensis De Agnis
Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11287



COROLLARIUM

SECUNDUM

Iosephi Mariæ Suaresij Episc. Vafionensis
DE AGNIS DEI.

Obscura, & tenuia plerumque videntur initia rituum ecclesiasticorum, quando eorum origo inuestiganda est, & repetenda vel à Christo Domino, vel ab ipsius Apostolis, atque Discipulis, qui scriptis omnia non consignauerunt, sed plura viua voce, quasi què per manus tradiderunt, vti liquet e c. 1. epistolæ secundæ S. Pauli ad Timotheum, vbi scribit: Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide. & e c. 2. ad Thessalonicenses secundæ: Tenete Traditiones, quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam meam. Illorum verò, qui scripsere Codices benè multi furore, ac rabie Tyrannorum aduersùs nomen Christianum sæuientium, perfidiaquè Traditorum absumpti flammis exciderunt; sic fundamenta ædificij tam spectabilis, altiùs abdita, defossaquè, imò & compressa delite-
 scunt.

scunt . At sacri ritus , qui tenebrosis in cryptis fouebantur , inter carcerum pressuras , & horrores cruciatuum , Diuino conseruati nutu , mox parta Ecclesiæ pace , inde feliciter emerferunt , atque publico succreuerunt bono , Spiritus sancti ductu spirantis vbi vult , & adaugentis ornatum , mundumque sponsæ suæ mira varietate , ac per charismatum quasi alluuiõnem latenti nonnunquam incremento , interdum fluminis impetu , ac diluuiõ lætificantis ciuitatem Dei . Certè cum ad cultum Diuinũ cereos ibi cœperunt fideles accendere , non tantum mortalium ex oculis discussere tenebras splendore luminum , sed etiam depulsam ex humanis mentibus errorum caliginem luce fidei significarunt ; dumque cereus paschalis illuxit in dierum Dominicorum prototypo prælatus à Christi cultoribus , passim ex ipso particulæ , atque fragmenta consueuerant eximi , gestarique ad calamitates auertendas , & amoliendas procellas , ac immissiones , quibus per Angelos malos mulctat iratum Numen populos luxuriantes ; tunc Agnorum vsus in Ecclesia Romana potissimum inoleuit . quod vt ostendam luculenter , nonnulla præfabor .